



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Iosephvs Poeta C. 3. April.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

clapsam bonam fortunam insecurus: aureis quippe argenteisque vasis in pauperum annonam expensis, præstare dictabat, fœtilibus, more parentis, cœnare, quam Christum egenorum turbâ repræsentatum esurire. Vno pane mille homines saturavit, Deo voluntati beneficiendi facultatem suggestente. Aliquot suarum domorum incendium restringere ad largiendum manus vindictam est interpretatus; & quos multi convicio à se manuque rejiciunt inopes, tanquam accepturus, non daturus beneficium, ad petendum blando affatu excitabat: cuius facti rationem postulatus, illud ex divinis literis proculit: *Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcediniis. Sub mortem notum Deiparacultoribus carmen à Sacerdotibus lectulo adstantibus iterari voluit:*

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, T nos ab hoste protege, Et horâ mortis suscipe.

Immortuus est sacræ crucis complexibus ad annum M. CC. XLV. Ex Surio.

Dic mihi, ubi nunc amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? quid ex eis remansit, nisi cineres & vermes? Attende quid sunt, quid fuerunt? homines fuerunt, sicut tu, comederunt, biberunt, riserunt & in puncto ad inferna descenderunt.
Bern. I. Med. c. 2.

S. IOSEPHVS POETA C.

3. April.

IOSEPHVS ævi sui Poëta clarissimus Thessalonicæ & Byzantii vitam egit, qualem agere Musæ amant, à mundi turbis semotam. Parnassus ei cella, lectus terra: cibus panis, potus aqua fuit nam hæc, & non mero fluere Hippocrænæ noverat. Hic

Hic ille sacrorum vatum monumenta lectitare, in vota non vana Poëtarum nomina, Sed Numerū vocare, atque ita demum pleno ore Cælites canere. Porro in D. Bartholomæi laudes iturus, cùm evocare omnes ex Helicone Musas gestiret, meditabundo ipse Divus adesse, & libro pectori admoto benè precari visus est. Non è Parnasso, sed cælo hoc fuit somnium. Nam deinceps versus Iosephus non fecit, sed fudit, ut qui exciperent, jam olim ad omnes ungues examinatos, nunc è memoriam tantum promi autumarent. Itaque Imperatoribus etiam gratus, non potuit tamen, quin in exilium secundò pelleretur. Sed quia caussam habebat cum Deo communem, etiam hic Poëtarum ingeniosissimum vicit, locoque ac muneri suo semper restitutus, demum immortali laureâ donandus ad Mecanates suos abivit Superos. Hos omnes, quos quidem versu laudavit, ad exequias Poëtæ sui confluxisse, S. Theodorus ab iis ipsis rediens cuidam ad tumbam suam supplici narravit. Tantum refert, scire quos laudes. Nunc dum non laudanda in mundo laudant Poëtæ, quod pretium ferunt, nisi ut splendide diu mentientibus mundus splendidius mentiatur, & post multas fabulas ultima & longissima fabula ipsimet fiant? Ex Menaïs.

Sicut ignis in lignis viridibus suffocatur, ita sapientia in adolescentiâ temptationibus & libidine impedita non explicat suum fulgorem, nisi labore, & studio, & oratione incentiva juventutis repellantur. S. Hier. ad Nep.